

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria,  
Historica, Critica**

**Ruhnken, David**

**Lugduni Batavorum, 1823**

Censura libri Ignarriani de Palaestra Neapolitana

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1677>

CENSURA

LIBRI IGNARRIANI

DE

PALAEASTRA NEAPOLITANA,

ex BIBLIOTHECAE CRITICAE Part. V.

pag. 77, sqq. (\*).

---

DE PALAEASTRA NEAPOLITANA Commentarius in Inscriptionem Athleticam, Neapolit. A. 1764. detectam, etc. Accedit de Buthysiae Agone Puteolano Dissertation. Neapolit. A. 1770. 4. ex Typographia Donati Campi.

**N**ulla temere gens est, quae majorem, quam Italos, de antiquitate bene merendi opportunitatem habeat, et studiosius constantiusque in hoc genere elaboret. Verum, quantum animus fructum capit ex monumentis antiquis, quae per illos in lucem proferuntur, tantum taedii et offenditios devorat legendis verbosis, jejunis, et temere corrasis explicationibus, quae his monumentis adjunguntur. Etenim illi, relictis fontibus, unde Sigonii, Manutii, Victorii, et similes seculo XVI fluxerunt, id est, neglecta Veterum Scriptorum assidua lectione, rivulos, eosque turbidissimos,

[(\*) Ab ipso Wyttbachio, V. Cl., Ruhnkenio adscripta, Bibl. Crit. Part. IX. praef. p. vi.]

GEN

2 m M

mos, et multum sordium trahentes, consecrari coepерunt. Saepius igitur ab illis testes citantur Rosinus, Knippingius, Pitiscus, quos nemo Batavorum, ne refellendi quidem causa, nominare audeat, quam Cicero, Livius, Plinius; aut si forte horum quoque testimonia afferuntur, facile patet, aliena fide laudari. In horum Antiquiorum numerum, tantum abest, ut Nicolaus Ignarra, V. Cl., de cuius libro sententiam dicimus, referendus sit, ut potius cum Fabretto, Maffeo, et Corsino, quibus elegantiores lapidum vetustorum interpres vix tulit Italia, comparandus videatur.

Magistro usus est Alexio Symmacho Mazochio, viro doctissimo, cui librum inscripsit. Sed acrior in discipulo vis judicandi est, major etiam rerum electus. Saepe ille quidem a re proposita digreditur. Sed hanc evagationem tantâ eruditione compensat, ut longissimam quamque digressionem lectu dignissimam esse, fateare. Scribendi occasio ipsi nata est ex Inscriptione Athletica, quae multa singularia, nec aliunde cognita, complectitur, effossa Neapoli A. 1764. Hanc parte aliqua mutilatam mira sagacitate supplevit, et pererudit commentatio illustravit. Initio consilium erat, nihil, nisi quod ad hujus Inscriptionis explicationem pertineret, in medium afferre. Sed mox patriarcharum rerum amore invitatus, omnia Neapolitanorum studia palaestrica, inde ab Augusto, usque ad Commodum complexus est, et per hanc occasionem multas antiquitatis partes e tenebris in lucem vocavit. Denique adjecit dissertationem de Buthysiac agone Puteolano. Inscriptionem, quam diximus, Fla-

vio Archibio dedicavit ἡ Φιλοσέβαστος καὶ φιλορθμαῖος  
 Ἀλεξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβῆς σύνοδος. Hic Cl.  
 Ignarra p. 20. docet, Alexandripos tam devotos fuisse  
 numini majestatique Augusti, ejusque successorum,  
 ut urbem suam de illorum nominibus appellarent. Quam in rem assert Stephan. Byz. v. Ἀλεξανδρεῖα ἐκλήθη δὲ ἐπὶ τῶν Ρωμαϊκῶν Σεβάστην, καὶ  
 Ἰουλία, καὶ Κλαυδία, καὶ Δομιτιανὴ, καὶ Ἀλεξαντηρία.  
 In postremo nomine, quod manifeste vitiosum est, sic ingenium experitur: καὶ ἄλλα ἔξ εὐετήρας; hoc  
 est, ipso interprete: et alia nomina, pro temporum  
 opportunitate. Sed primum constructio ἄλλως, non  
 ἄλλα, postulat: deinde εὐετήρα non temporis oppor-  
 tunitatem, sed felicem annonae proventum significat:  
 vide Perizon. ad Aelian. V. H. II. 17. Alia igitur  
 medicina depravato loco quaerenda. Tum forma non  
 aliunde nota, περιπολιστικὴ σύνοδος, ut bene compa-  
 ratur cum Latino circumforaneus, sic minus recte αἱ περιπολέων dicitur. Non succurrebat viro doctissimo  
 locus Phrynichi apud Pollucem VII. 203. Ω καὶ  
 πραγμα, καὶ περίπολις, καὶ δρομός. ubi περίπολις est  
 meretrix περιπολιστικὴ, circum oppida vagans, quam  
 περιδρομον vocat Theognis v. 581. Nollea etiam huic  
 trahi corruptam glossam Hesychii: Πολιτὴν Σικελίαν ἀντὶ τοῦ, νῆσου, quam viri docti verissime sic  
 correxerunt: Πόλιν τὸν Σικελίαν. Mox p. 25. athle-  
 tas περιπολιστικοὺς comparat cum νικηφόροις περιαγειρό-  
 μένοις apud Platонem Polit. X. p. 521. nescio, an  
 bene. Nam σύνοδος περιπολιστικὴ est, quam Galli di-  
 cunt, une troupe ambulante. At νικηφοροι περιαγειρό-  
 μενοι sunt victores ludorum, qui munuscula exigunt

a spectatoribus; de quibus quae Ruhnkenius ad Timaei Lex. Platon. p. 153. disputat, non videtur legisse.

P. 32. in transitu sic corrigit Pausaniam VI. 13. ut pro Ἡρα τῇ Δασκεδαιμονίᾳ legat Ἡρα τῇ Δασκινίᾳ. Nihil verius.

P. 35. bene illustrat rarissimam vocem, quae in hoc marmore occurrit, παραδοξοῦλης, eamque vindicat Plutarcho in Cimon. p. 521. Nec minus erudita est annotatio de formula laudandi hyperbolica, πρῶτος ἐνθράπων, quae saepe in hoc lapide repetitur: quam cum recte cepisset, non debebat ad argutias delabi, et πρῶτον ἐνθράπων explicare athletam, qui in primo pari decertarat.

P. 52. Docta est digressio de Inscriptione Panormitana, ubi jocularem prodit Inscriptionem, ex tabula aerea descriptam: ΡΩΜΗ ΚΕΦΑΛΗ ΚΑΘΑΡΟΤ· qua Graeculus Latinae linguae imperitus exprimere voluit Latinum: *Roma caput mundi*.

P. 55. Praeciare demonstrat, τὰ ἐν Ἡρακλεῖᾳ ἐπιγραφίᾳ Τραϊάνου, quae in hoc marmore commemorantur, esse illos ipsos quinquennales agonas, qui Trajanus appellantur, apud Plinium X. Ep. 79. post ieiasticos factos a Trajano, apud eundem X. Ep. 119. Ex qua animadversione, nescio, plusne lucis Plinius, an marmor vetus capiat. Verum quod in priore Plinii loco Tianorum pro Theanorum reponit, id dudum legitur in bonis Editionibus. Aliis quoque indicis deprehendimus, nihil doctissimo Ignarrai tam defuisse, quam bonorum librorum copiam.

P. 62. docet, πενταετῆ et quinquennalia non sem.

semper quinque annorum spatium significare, sed interdum καταχρηστικῶς ponī pro quovis sacro conventu, sive, quod idem est, vocabula πενταετῆς et πανήγυρις sýnonymia esse. Qua palmaria animadversione, nemini dubium sit, quin multae Chronologorum rixae componi possint.

P. 76. eruditè disputat de sacro agone Ephesino, qui in lāpidibus apud Gruterum Βαλβιλλεῖς, sed in hoc Neapolitano Βαρβίλλεια dicitur rectius, a Barbillo, Astrologo, cuius mentionem facit Dio Cassius L. LXVI. p. 1084.

P. 80. In marmore haec erat lacuna: 'Εξε... . . . .  
"Αργους ἀσπίδα" quam Cl. Ignarra sagacissime explevit, hoc modo: 'Εξελίδας τὴν ἐξ "Αργους ἀσπίδα" confirmans conjecturam ex Stephano Byz. v. 'Εξελίδα.

Hæc omnia ex commentario in Inscriptionem athletamicam delibavimus. Sequitur p. 89. diatriba de Palaestra Neapolitana, ex qua longam adversus vanissimum nugatorem, Martorellum, disputationem sublatam vellemus. Melius enim est, absurde dicta ridere, et contemnere, quam serio refellere.

P. 102. Longiuscula est disputatio de Ephebo, cuius tectum V. Cl. in absidem curvatum fuisse putat, inductus loco minus intellecto 2. Maccab. IV. 12. 'Ασμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν γυμνάσιον καθίδρυσε, καὶ τοὺς κρατίστους τῶν Ἐφήβων ὑποτάσσων, ὅπο πέτατον ἦγεν' quod interpres vulgatus sic vertit: Etenim ausus est sub ipsâ arce gymnasium constituere, et optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere. Hic vir doctus πέτασε accipit pro aedificio ad petas.

for-

formam testudinato, creditque, eam vocem ab interprete vulgato, cum *fornicem* vertere debuisse, *lupanar* versam esse, contumeliae caussā. Sed haec ratio contorta est, et a vero aliena: *πέτασος* est, τὸ τῶν ἐφύβων Φόρημα, ut recte explicat Hesychius, et ὑπὸ πέτασον ἄγειν significat ad certamina gymnica vocare. Latini locutione non prorsus dissimili dicunt, *servas ad pileum vocare*, pro excitare ad ea agenda, quae liberi homines agere solent, sive ad libertatem vocare. Illud miror, nec Cl. Ignaram, nec quemquam alium vidisse, verbum *υποτάσσων* in illo Maccabaeorum loço expungendum esse, tanquam variantem electionem vocum ὑπὸ πέτασον.

P. 117. Varias vocis *γυμνάστων* notiones exponit, in primis illam minus tritam, qua pro *balneo* dicitur.

P. 132. Ex occasione disserit de *favisis templorum*, easque in lapidibus antiquis *loca abdita*, et *loca obscura* dictas ostendit. Quae tam similia sunt iis, quae de his *favisis* ad Liv. V. 50. scripsit Drakenborchius, ut inde sumta putares. Sed illum plagiī suspicione absolvit summa, de qua ante diximus, bonorum librorum inopia. Eodem modo an excusari possit Jacobus Rhoerius, illa ipsa de *favisis* tradens, Fer. Daventr. Cap. 2. p. 16. viderint alii.

P. 167. Profert marmor Graecum ex Ducis Nojae museo, in quo hoc distichon scriptum est:

ΣΗΜΑ ΦΙΛΕΙΝΩ  
ΤΟΤΤΟ ΦΙΛΩ ΔΕΙ ΜΕΝ  
ΘΕΡΑΠΟΝΤΙ  
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ ΠΑΣΗΣ  
ΕΙΝΕΚΕΝ ΕΤΝΟΙΑΣ

Mm 5

Quod

Quod Cl. Ignarra minus feliciter sic distinguit:

Σῆμα Φιλενώ (τοῦτο Φίλω δεῖ μὲν θεράποντι)

· Ἰπποκράτης πάσης εἶνεκεν ἐυοῖς.

Scribendum:

Σῆμα Φιλενώ τοῦτο Φίλω δεῖμεν θεράποντι

· Ἰπποκράτης πάσης εἶνεκεν ἐυοῖς.

Incertus Poëta Anthol. III. p. 300. Λύτῳ καὶ τε-  
κέσσοι γυαλῖ τε τύμβον ἔδειμεν Ἀνδροτίων. Atque ita,  
his scriptis, correxisse video virum elegantissimum,  
V. M. Giovenazzium ad Livii Fragm. p. 44. (\*)

Nunc venimus ad locum hujus Diatribes maxime  
memorabilem, p. 182. ubi de Petronio Arbitro multa  
nova, nec ante cuiquam cognita, traduntur. Satis  
constat, Scriptorem Satyricōn, qui conficto ex Taciti  
Annalibus nomine T. Petronius Arbiter dicitur, a  
viris summis, fratribus Valesiis, multo recentiorem,  
quam vulgo putetur, habitum esse: cum quidem Hen-  
ricus illum ad tempus Gallieni, Hadrianus ad Anto-  
ninorum, ne sit satis certis argumentis, referret.  
Tandem exortus est Cl. Ignarra, qui idoneis, nec fa-  
cile convellendis, rationibus, id quod tantum suspi-  
catus erat Hadrianus Valesius, demonstraret, Satyri-  
cōn Scriptorem extremo Antoninorum tempore vixisse.  
Disputationis summa haec est; Vix potest dubitari,

quin

[(\*)] Insere: P. 180. Euripides ap. Plutarchum  
de Is. et Osir. p. 166. Ἐκάτης ἕγαλμα φωσφόρου κύω  
ἔτει. quod ego cum aliis Hecatae delicias explicem, non He-  
catae symbolum, ut placet doctissimo Ignarra, de Palaestra  
Neap." Ruhnk. ad Tim. p. 7. et Pors. ad Hec. 1265<sup>o</sup>

KIDD.]

quin Petronius in illa ipsa urbe, in qua Trimalchionis coenam instruxit, hoc est, Neapoli, libros Satyricōn conscripserit, et Neapolitanorum in primis mores perstrinxerit. Nec tantum multi Graccismi, sed etiam idiotismi, quorum nonnulli adhuc plebis Neapolitanae ore frequentantur, illum in hac urbe vel natum, vel educatum arguunt. Jam temporis, quo vixit, indicium ipse praebet Cap. 44. 57. 76. aliisque locis, Coloniam appellans Neapolim, colonicosque Magistratus commemorans. Quod facere nullo modo potuit, nisi sub extremis Commodi temporibus, quibus demum Neapolim coloniam factam esse, Cl. Ignarra p. 220. tam accurate demonstravit, ut nihil dubitationis superesse videatur. Denique Petronius Cap. 76. mentionem facit Mathematici, Serapionis. Atqui hunc sub Antonino Caracalla vixisse, scimus ex Dione Cassio LXXVIII p. 1313. Mittimus alia, quibus vir doctissimus usus est, argumenta; quae singula et sola etsi non multum ponderis habent, tamen in unam collata Petronium ex optima aetate, in qua illum Burmanni aliorumque admiratio collokat, ad hanc detinorem facile detrudunt. Sed erunt fortasse, qui dicant, fieri non posse, ut Petronius, qui vulgo *Latina Siren*, si Dis placet, appellatur, aetate vixerit in barbaricā inclinante. Est sane ejus oratio elegantissima: sed eadem multis mœulis inquit. Placetque nobis judicium eruditissimi Ignarrai, Petronium elegantiam habere ab assidua veterum lectione et imitatione; sordes a seculi Antoniniani contagione. Sic Lactantius, Scriptor disertissimus, ele-

gan-

gantiam a Ciceronis studio traxit, barbarismos ex acce-  
tate, qua vixit, Constantini.

P. 192. erudite demonstrat, Pinacothecam, quam Petronius Cap. 83. commemorat, non esse diversam ab ea, quam Philostratus vidit, atque enarravit. Ve-  
rum non sequimur ejus opinionem, e quatuor Ima-  
ginum libris, quos Suidas a Philostrato scriptos tra-  
dit, duos intercidisse. Omnes sane Imagines super-  
sunt: sed quae nunc in duo libros, olim in quatuor  
dividebantur. Vidimus Parisiis in bibliotheca regia  
Imaginum codicem MS. in quo L. II. Cap. 11. no-  
tatur: Φιλοστράτου εἰκόνων γ. et L. II. Cap. 27. Φι-  
λοστράτου εἰκόνων δ. Talis igitur codicis fidem Suidas  
secutus est.

P. 230. Sequitur docta, et copiosa Dissertatio de Buthysiae agone Puteolano, qua multum lucis affun-  
ditur marmori Graeco apud Gruterum p. 1103. Nol-  
lemus tamen, vir eruditus p. 247, 264. ad ludibria  
originum orientalium delapsus esset, imitatione ma-  
gistri Mazochii, quem, constat, omnia Graeca et  
Latina ex Hebraica lingua repetuisse, et his nugis  
Vossii Etymologicon, quod nuper Neapoli recusum  
est, referuisse.

P. 243. non vulgari eruditione disputat de Numis  
Graeciae Italicae et Siculae, in quibus Achelous,  
ubertatis agrorum symbolum, signatus est.

P. 286. Per occasionem profert Epigramma Grae-  
cum, marmori inscriptum, quod ipsi elegantissimum,  
nobis nec elegans, nec valde vetustum videtur:

Πατρίδος ἐκ Σαύρης βροτοὶ μὲν Εὐθάλεα καλέετον  
Εἴνεκ' ἐμῆς ὄρης, καὶ μεγέθους ἐρατοῦ.

AΛ.

*\*Αλλά με μοῖρ' θλοῦ, πρὸν ιούλοις πλῆσαι παρειάς,*

*\*Ηρπασέ πάρ φιλίων, οὐς τοκέας ἐκέλουν.*

In quo cum Diphthongi *oi* in Θροτοὶ, et *ai* in πλῆσαι ante consonantem corripiantur, hinc vitiosae prosodiae praesidium petit. Sed, quid hac de re in Anglia et Belgio, patrum memoria, disputatum sit, vir egregius nescivisse videtur. In tertio autem versu nihil est, quod hanc opinionem confirmet, si levi mutatione scribas: *πρὸν ιούλοις πλῆσα παρειάς.*

Ex his speciminibus, quantum bonae frugis Cl. Ignarre libro insit, satis superque, arbitramur, intelligi posse.

— Ao. MDCCLXXX.